





1567

1893

o. XVII, 291.



CAPITA <sup>19</sup>  
DE COENA  
DOMINI

IN ORDINARIA DIS-  
PUTATIONE XIII. DE-  
CEMBRIS ANNO  
M. D. LIIII.  
PROPO-  
SITA.

PRAESIDENTE

VOLFGANGO SCHIRMEI-  
STERO THEOLOGIAE  
DOCTORE.

LIPSIÆ

IN OFFICINA VALEN-  
TINI PAPÆ.

---

ANNO M. D. LIIII.



CAPITULA

DE COENA

DOMINI

IN ORDINARIA DIS

POSITIONE XIII DE

GRABRIE ANNO

M. D. LIII.

PROPO

SITA.

PRÆSIDENTE

VOLFGANGO SCHIRMER

STERO THEOLOGIE

DOCTORE

LIPSIÆ

IN OFFICINA VALERII

TINI PAPÆ

ANNO M. D. LIII.





# DISPVTA=

## TIO DE COENA

### DOMINI.

#### PROPOSITIO I.

**V**erè & piè dicitur, Cœnam Domini esse Sacramentum, ab ipso CHRISTO institutum, in quo dato pane et uino, et accedente uerbo institutionis CHRISTI, uerè exhibetur sumentibus, corpus et sanguis CHRISTI. Hoc fine, ut qui credant uerbis CHRISTI: quod pro uobis traditur. Item qui effunditur in remissionem peccatorum: & qui habeant fidem promissionibus Euangelij accipiant omnium delictorum suorum condonationem, in spe salutis, & uitæ æternæ.

#### II.

Utramq; Sacramenti partem, id est, totum hoc & integrum, à Christo institutum esse, & filium Dei, non modo Apostolis, uerum etiam toti ecclesiæ, hoc modo uti sacramento præcepisse,



10  
pisse, Euangelista satis perspicue demonstrant  
hisce uerbis: Vescantibus autem illis, Accepit  
IHESVS panem, & cum gratias egisset, fre-  
git deditque discipulis, & ait, Accipite come-  
dite, hoc est corpus meum, quod pro uobis tra-  
ditur, hoc facite, in mei commemorationem.  
Et accepto poculo, cum gratias egisset dedit  
illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic enim est  
sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis  
effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc  
facite quotiescunq; biberitis, (testante Paulo)  
in mei commemorationem.

### III.

Hanc enim CHRISTI institutionem, re-  
petit Apostolus Paulus, 1. Corinth. 11. Et cer-  
to constat ex serie orationis, totam Ecclesiam  
Corinthicam, integro Sacramento usam fuis-  
se, iuxta institutionem CHRISTI.

### IIII.

Scripta insuper sanctorum patrum, & ca-  
nones etiam testantur hunc morem, in distribu-  
tione huius Sacramenti, post tempora Aposto-  
lorum, in Ecclesijs CHRISTI constanter ob-  
seruatum fuisse. Vnde diuus Ignatius ait, quod  
unus sit dominus, unum Baptisma, & unus ca-  
lix: Et



lix: Et Cyprianus multis in locis affirmat, populo sanguinem datum fuisse. Sanctus Hier. inquit, Sacerdotes Eucharistiae ministrant, & sanguinem CHRISTI populo diuidunt, pro inde recte quoque interpretatur haec uerba, Pascasius: Bibite ex hoc omnes, id est, tam ministri, quam reliqui credentes. Confirmat hoc etiam antiquus Canon qui habet: Communicans alijs dicat: Perceptio corporis Domini nostri IHESV CHRISTI, profit animae tuae in uitam aeternam. Sanguis Domini nostri IHESV CHRISTI, proficiat tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, ad uitam aeternam. Et in hymno quodam canit Ecclesia, Dedit fragilibus corporis ferculum, Dedit & tristibus sanguinis poculum.

V.

Imo Leo Papa, grauiter reprehendit, Manicheos quosdam, qui se à sanguine CHRISTI abstinebant. Et simili modo quoque Gelasius Papa, quosdam arguit ut habetur de Cons: distinct. 2. Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo, corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant. Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio unius & eiusdem ministerij, sine grandi sacrilegio, non potest prouenire.

A 3

VI.



## VI.

Duravit sanè hic mos, integræ & indiuisæ communicationis, non modò in primitiua Ecclesia, statim post tempora Apostolorum, sed in multis Ecclesijs CHRISTI, usque ad concilium Constantiense, (quod fuit, Anno à natiuitate Domini, M. CCCC. XV.) in quo Episcopi, & alij, impiè concluderunt, Ne posthac ullus presbyter, sub pœna excommunicationis, communicet populum, sub utraq; specie panis & uini.

## VII.

Verum, nisi docuerint nos aduersarij, quòd comedere & bibere, quiddam aliud significant, quàm toto mundo significant, Christumque alio modo, hoc Sacramentũ instituisse quã Euãgelistæ, et diuus Paulus scribũt. Ac sanctos Apostolos, alteram tantũ partem (quam nescio cur speciem illi qui rem corruerũt, appellare maluerint) huius Sacramenti distribuisse et reliquis ministris Ecclesiæ uel successoribus, hoc modo distribuere mandasse. Non possumus assentiri impio ipsorum decreto, in quo statuerunt, uel adhuc mandant, contra mandatũ CHRISTI, quòd Laici sub una tantum specie, scilicet pane, sint communicandi.

## VIII.



VIII.

Imo è contrario toto cœlo aberrare, & gra-  
uiter peccare Episcopos cum suis asseclis affir-  
mamus, qui hanc CHRISTI institutionem  
uiolant uel mutant, & Laicis alteram partem  
Eucharistiæ auferunt, qualibuscunq; etiam ra-  
tionibus humanis, adducti id faciunt.

IX.

Consuetudo enim contra mandatum DEI  
introduc̃ta, neque approbari, neque seruari  
debet: Iuxta illud Pauli: Si quis aliud Euan-  
gelium uobis Euangelizauerit, Anathema sit.  
Hinc etiã piè inquit Cyprianus, contra eiusmo-  
di consuetudinem, in epistola ad Cæcilium: Si so-  
lus CHRISTUS audiendus est, non debemus at-  
tendere, quid aliquis antè nos, faciendum puta-  
uerit. Sed quid, qui ante omnes est, CHRI-  
STVS prius fecerit, neque hominis consuetu-  
dinem sequi oportet, sed dei ueritatem, cū per  
Esaïam prophetam loquatur DEVS & dicat,  
Sine caussa me colunt mandata & doctrinas ho-  
minum docentes &c.

X.

Rectè proinde in Ecclesijs nostris etiam La-  
icis,



icis totum & integrum, & non mutilatum Sa-  
cramentum in Cœna domini datur, cum hic mos  
sit antiquus, & habeat mandatum CHRISTI:  
Bibite ex hoc omnes. Item, hoc facite in mei  
commemorationem. Quis nam recordabitur  
Domini? Quis annunciabit mortem Domini?  
Non solis sacrificulis hoc est dictum? Certè  
non, sed omnibus ac singulis Christianis.

XI.

Deinde asserimus, & piè credimus, cum tota  
Ecclesia DEI Orthodoxis, et omnibus fidelibus  
uerum CHRISTI corpus, et uerū ipsius san-  
guinem hîc adesse, distribui, & accipi hoc in  
Sacramento, iuxta uerba Domini nostri IHE-  
SV CHRISTI (qui ipsa ueritas est, & men-  
tiri nescit) Accipite, comedite, hoc est corpus  
meum: Item: Bibite ex hoc omnes, hic est e-  
nim sanguis meus, noui testamenti, qui pro uo-  
bis effunditur, in remissionem peccatorum. Et  
Paulus 1. Corinth. 10. inquit, Poculum benedi-  
ctionis, cui benedicimus, nonne communicatio  
sanguinis CHRISTI est? Panis quem fran-  
gimus nonne communicatio corporis CHRI-  
STI est?

XII.

Huic



Huic sententiae suffragantur quoque scriptores ueteres: Cyrillus ait unde considerandum est, CHRISTVM non solum per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione, id est, non solum adesse efficacia, sed etiam substantia. Item Hilarius inquit, de naturali enim in nobis ueritate quae dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè & impiè diceremus, ipse enim inquit, caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, & deinceps hæc accepta & hausta, efficiunt, ut & nos in Christo & CHRISTVS in nobis sit: Et Chrysostomus inquit: Sacerdotis ore uerba proferuntur, & DEI uirtute consecrantur & gratia, hoc uerbo quod ait (hoc est corpus meum) proposita consecrantur. Et sicut illa uox quae dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem, operante natura, Ita & uox ista, semel quidem prolata est, sed per omnes mensas Ecclesiae, usque in hodiernū, & usque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem: Similiter Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & alij multi Orthodoxi, hanc sententiã de uera præsentia corporis et sanguinis CHRISTI hoc in Sacramento affirmant.

### XIII.

A 5

Refuta



Refutamus igitur & damnamus eorum opi-  
nionem, qui statuunt, sine uerbo DEI cœnam do-  
mini, tantum symbolum esse absentis corporis  
& sanguinis CHRISTI.

XIII.

Exhibet nobis Christus corpus suum, ut do-  
net nobis sua beneficia, ut testetur nos esse mem-  
bra pro quibus est passus, quæ uelit seruare, in  
quibus uelit esse efficax contra Diabolum, ex-  
hibet nobis sanguinem suum, ut sciamus nos san-  
guine ipsius ablutos esse.

XV.

Institutum est porrò hoc Sacramentum à  
CHRISTO, non modò ut sit signum confes-  
sionis, uel uinculum mutuæ dilectionis, sed prin-  
cipalis finis est, ut sit testimonium noui testamen-  
ti, gratiæ, remissionis peccatorum, uoluntatisq;  
DEI erga nos, ppter Christum ad excitandam  
et confirmandam fidem in his, qui hoc utuntur.

XVI.

Necessario enim requiritur ut fides acce-  
dat, quia Sacramenta addita sunt promissioni-  
bus, & sicut promissionem fide accipi necesse  
est,



est, ita quoq; oportet in uero usu Sacramento-  
rum accedere fidem intuentem promissionem,  
& quemadmodum hæc tria concurrunt ad hoc  
Sacramentum: Elementum, Verbum, & Man-  
datum (quæ nullo modo mutari debent) Ita ad  
uerum usum huius Sacramenti requiritur etiam  
fides, quæ amplectitur promissionem, de remis-  
sione peccatorum.

### XVII.

Si quis igitur uult uti hac cœna Domini, sta-  
tuet sibi offerri res promissas in nouo testamen-  
to, scilicet gratuitam peccatorum remissionem  
& hanc fide accipiet, eriget pavidam conscien-  
tiam, & sentiet hoc testimonium non esse fallax,  
sed tam certum ac si DEVS nouo miraculo de  
cœlo promitteret, se uelle ignoscere omnia pec-  
cata.

### XVIII.

Prodest sane manducare & bibere agenti-  
bus pœnitentiam, & fide intuentibus in mortem  
& resurrectionem CHRISTI, credentibus  
propter hunc mediatorem DEVM uere pro-  
pitium esse, uere nobis ignoscere, nosq; exau-  
dire, & inuocantibus hac fide DEVM & do-  
minum nostrum IHESVM CHRISTVM  
ac pro



ac pro tanto beneficio gratias DEO agentibus,  
(unde etiam ευχαριστία nominatur) hæc con=  
currere in<sup>o</sup> usum necesse est, nec prodest cere=  
monia sine pœnitentia & fide.

XIX.

Vnde rectè damnantur etiam hi, qui docent,  
quod Sacramenta ex opere operato iustificent,  
& conferant gratiam sine bono motu utentis,  
fidemq; non requiri in usu Sacramentorum.

XX.

Hæc enim Iudaica opinio est, sentire uideli=  
cet, quod per ceremonias iustificemur, sine bo=  
no cordis motu, hoc est, sine fide. Hinc Augu=  
stinus ait, quod fides Sacramenti, non Sacramen=  
tum iustificet: Et est nota Pauli sententia, Cor=  
de creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad  
salutem.

XXI.

Nemini insuper hoc Sacramentum imper=  
tiendum est, nisi demonstret suam sententiam  
& uoluntatem recensendo & confitendo, tam  
imbecillitatem & egestatem suam, quàm affe=  
ctionem fidei & pietatis, & petendo confir=  
matio=  
matio=



mationem ac consolationem, per uerbum & signum illud. Vnde etiam Diuus Paulus ait, Quicumque ederit panem hunc, aut biberit de poculo DOMINI indignè, reus erit corporis & sanguinis CHRISTI. Item iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans corpus DOMINI. Et eodem loco: Probet autem homo se ipsum, & sic de pane edat, & de calice bibat: Et CHRISTVS inquit; Nolite margaritas projcere ante porcos.

XXII.

Ista est Apostolica, prisca, Catholica doctrina, de Sacramento corporis & sanguinis CHRISTI, quam nos retinendam & tuendam, conseruandamque esse dicimus. Ob quod pietatis, & religionis studium, eam gratiam referimus, ut accusemur, tanquam nouarum rerum cupidi, & nominemur à quibusdam, quasi per iocum, Neochristiani, qui tamen primam & antiquissimam huius sacratissimi Sacramenti institutionem, amplectimur, & defendimus.

XXIII.

Hec



Hæc de institutione, Substantia, & prin-  
cipali fine, cœnæ DOMINI nunc dicta, suf-  
ficient. De reliquo uero abusu, & alijs  
rebus, pertinentibus ad, considerati-  
onem huius Sacramenti, dicemus  
uolente & fauente CHRIS-  
TO, deinceps plura, in  
alia disputatione.

F  
I N I  
S



XIII



9  
193469

ULB Halle 3  
004 396 014



Sp.


MC











B.I.G.

Farbkarte #13

# CAPITA DE COENA DOMINI

19

IN ORDINARIA DIS-  
PUTATIONE XIII. DE-  
CEMBRIS ANNO  
M. D. LIIII.  
PROPO-  
SITA.

PRAESIDENTE  
VOLFGANGO SCHIRMEI-  
STERO THEOLOGIAE  
DOCTORE.

LIPSIÆ

IN OFFICINA VALENTI-  
TINI PAPAE.

ANNO M. D. LIIII.